

mine offensi, id ipsum cōtemptui se habere non animaduertant, quod ducum quoq; suorum exemplis, & faciunt, & si modò rectam medēdi regulam secuti, votorum suorum fatagunt, facere coguntur. Nec enim eos nos intra Chymicorum officiorum septa se cōtinere existimamus, qui à regia verè Philosophiæ, ex qua nata est Medicina, in ambages Paracelsi somniorum temerè dilabuntur. Quantumuis enim is, remediorum ritè præparandorum primam glaciem fregisse meritò videri possit, vt, qui sepositis non nihil præcipitium affectuum persuasionibus equitati locum reliquerint, vniuersæ Medicorum cohorti profectum inde beneficium grato animo sint agnituri: quæ tamen est humanæ mentis, haud vllò politiorum literarum subsidio adiutæ infirmitas, in ipsa vniuersitatis rerum principia tam turpiter impegit, vt posthabitis ijs, quæ per multa sæcula annorum inuenta, & quotidiano rerum experimento cōprobata fuerunt, pro sui ingenij acumine, noua fingeret: alia quidem non vsque adeò præter rationē, & inania, vel inaudita: plæraq;

*Paracelsus
Chymicæ li-
mites tran-
scendit.*